
F I M



P P

O E

S. A


V
B
J
C

VITÆ, GESTA ET MIRACVLA,

Sanctorum Quinq; Fratrum Polonorum Eremitarum Casimiriensium, Ordinis S. Romualdi Abbatis Camaldul:

IOANNIS, BENEDICTI, MATHEI, ISAACI, CHRISTINI, Martyrum, simulque & aliorum sociorum eorum, ATHANASII, LAVRENTII, & BOGVMILI: ex variis Authoribus, diuersisque fragmentis breuiter collectę, & nunc primum in lucem

Æditæ:

AVTHORITATE

ILLVSTRISSIMI DOMINI BERNARDI

Macieiowski, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Archiepiscopi Gnesnensis,

1606.

A MARTINO BARONIO IAROSLAuiense Clerico,

Pars Prima.

Deus qui gloriatur in consilio Sanctorum, magnus & terribilis super omnes, qui in circuitu eius sunt.

PSALM 88.

Cum Gratia & Priuilegio S. R. M.

Superiorum permissu.

CRACOVIAE, *Basilius Skalski impreßit, Anno Domini,* M. DC. X.

Approbata.

Romæ Anno 1602. Frater Ioannes Maria Vercellenſis, Magiſter Sacri Palatii, vidit & approbauit.

Cracouiæ Anno 1604. Illuſtriſs: Dominus Claudius Rangonius Comes, Sedis Apoſtolicæ Pauli Quinti Legatus, Epiſcopus Regii, & Princeps, ad Sereniſs: Sigiſmundum Tertium Regem Poloniæ, confirmauit ſuo robore.

Ac per ℞dum D. Andream Schoneum, S. T. & Iuris vtriuſq; Doctorem, protunc Vniuerſitatis Crac: generalis ſtudii Rectorem approbatę, & in lucem vt æderetur permiſſum, 1608.

Sanctæ Eccleſiæ Romanę Catholicę, & eius Pontifici Maximo, diuina prouidentia Domino noſtro Paulo Quinto iudicio ac authoritati feliciter, omnia ſubiicio, in qua, & pro qua, millitamus.

Iustus autem, si morte præocupatus fuerit, in refrigerio erit. Sapientię 4. (Chrisostomus Homil: 11.

Martyrem enim non facit pœna, sed causa. Aug: Epi: 166.

Prætiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius. Ps. 115.

Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Christo viuentium sancta corpora, quę viua membra fuerunt Christi, & templum Spiritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse: per quę multa beneficia à deo hominibus præstantur. Sanctum Concilium Tridentinum de inuocatione & veneratione sanctorum. Sess. 25.

Quisquis honorat Martyres, Christum honorat: & qui spernit Sanctos, spernit & Dominum Deum. Cuncti enim Martyres deuotissime percollendi sunt; sed specialiter ii venerandi, quorum Reliquias sanctas possidemus. D. Stanislaus Hosius Cardinalis Polonus, lib: Confess. cap: 58. de laudibus sanctorum. S. Aug. de ciuita: Dei lib: 20. cap. 21. Ambro hom: 11.

Sanctorum gaude colloquio, per ipsos enim Deus tibi manifestabitur: semper aliquid lucri ex sanctorum speculatione, consequi adnitere, formam quoque & aspectu eorum obserua. ambo enim prodesse solent, verùm sanctos ab operibus dignosce: à fructu enim omnis discernitur arbor. Sanctus Nilus Episcopus Gassę Martyr, apud S. Isidorum, Senten. fol. 180.

Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine & expectabã eum, qui saluum me fecit à pusillanimitatẽ spiritus & tempestate. Tetigit autem hoc & iustos tentatio mortis & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua, properans enim homo sine querella deprecari pro populo, proferens seruitutis suę scutum, orationem, & per incensum deprecationẽ allegans, restitit iræ. Sap. 18. Psal: 54.

Sacer Ordo Eremitarum Camaldulensium, Sanctos suì Ordinis, habet XXII. Beatos verò habet LXXX. Sanctimoniales sanctas habet VIII. miraculis diuinis claros, multorum authorũ communis consensus fidem facit, satis fideli credere. Mea opinio est, quod in scriptis inuenimus, hoc testamur.

IN ARMA ILLVSTRISS: DOMINI, DOMINI MARTINI SZyſzkowski, Epiſcopi Plocenſis.



Tendit in excelſum factis Siskouia proles,
Haud minus ex auitis nobilis vſque ſuis.
Hæc tantum illa domi, externis quoque fulget in oris
Iuſtitię cultrix prouida larga, pia
Hinc eſt grata bonis, heroibus, inde vetuſto,
Stemmate conſtanter florida ſurgit, ouat.

Author, felicia arcana Dei, ſemper gaudere diu fauet.

Illuſtriß.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS:
in Christo Patri Domino,

DOMINO MARTINO
SZISZKOWSKI, DEI ET APOSTOLICAE
sedis gratia, Episcopo Plocensi, ac Senatori Regni
Poloniæ, Mœcenati suo collendissimo:

Perpetuam felicitatem precatur.



Ncolæ cælestis curiæ, Illustrissime ac Reuerendissime Domine, licèt huius mortalitatis soluti corpore, in Regalibus cum Christo resideant sedibus, iuxta illud. Qui vicerit, dabo illi sedere mecum in throno: scientes se ad tam sublime maiestatis solium, non nisi demissionis animi, euectos esse gradibus, nobis non absimilem optantes in amplissimo cælestis illius Hierusalem domicilio sessionem, vias non alias, nisi quibus ipsi in hanc ascenderunt palmam, & apprehenderunt fructus eius, commendatam posteritati relinquere voluerunt: nec ad hæc vsq; tempora cessant inculcare, exemplisq; suis, etiam ergastulo corporis emissi conantur inuitare. Etquod enim maius, & efficacius animi demissionis incitamentum, in eorum exemplis expressum apparet, quàm quòd vitæ suæ ad imitandum nobis exempla proposita, nolunt (licèt nulli iam subiecti mortalitatis corruptioni) nisi sub mortalis alicuius viri tutela, & patrocinio, in lucem ædi. Quapropter, cum necdum hisce nostris temporibus, gloriæ inanis cesset cupiditas, magni nominis vana existimatio, ingens diuitiarum desiderium, ecce vitæ sanctitate, & morum probitate illustres viri Eremitæ Poloni Camaldulenses, Casimiriæ in maiori Polonia olim sepulti, qui ad sedanda, & ex animis nostris euellenda tot scelerum venena, ex densis silentii latebris, & obsitis Syluestrium dumetorum angulis, erumpere satagunt, clamantes cum Salomone: Filii Adam, audite. Quid vobis cum terrenis diuitiis: quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Quid cum temporali vana gloria, quam ab inuicem accipitis? Gloriam vos quærere veram docet

Apocal. 3.
Epiphan: hæresi 26
Amb: ser. 91.
D. Stanisl. Hos. Car. Conf. lib. cap: 58.

Apoſtolus; Gloria veſtra (inquit) eſt, teſtimonium conſcientiæ veſtræ diuq; clamantes opaca linquunt lucorum domicilia, virtutum ſuarum facibus accenſis, duces ſe in errorum tenebris conantur præbere hominibus, veram veri monſtrare viam honoris, veram virtutum ambire gloriam: Sed nolunt in lucem prodire niſi auſpicatò, & ductu tuo Illuſtriſſime Domine, cupientes ſub tutela tua, ſub tua protectione & patrocinio, pro vtilitate communi ſuas relinquere ſeſsiones, abditoſq; ſyluarum angulos, cum Diuo clamare Apoſtolo: Imitatores noſtri eſtote ſicut & nos Chriſti. Hanc igitur amicorum Dei Sanctam cateruam, quam tibi Præſul Reuerendiſſime, mente promptiſsima, & deuota offero & toti mortalium generi ad imitandum, tuæ beneuolentiæ vexillis præeuntibus, tanquam lucernas diuino ardentes amore, ſed hactenus ſub modis reconditas, ſuper candelabrum imponens, vt omnibus qui illorum lecturi ſunt vitæ exempla, luceant propono benigne ſub tuum Patrocinium ſuſcipe, certò tibi perſuadens, ſi tui patrocinii dextera è tenebris eos eduxeris in terris, illorum viciſsim tutelam, & patrocinium, te experturum in cælis. Habes ſimul & alios, quorum ſi genus ſpectare velis, clariſsimos: ſi virtutem, excellentiſsimos viros: ſi mores, ſanctiſsimos, ſi miracula, admirandos, qui eadem antea, qua tu modò gloria, eodem Epiſcopali ſceptro, iiſdem honoris & virtutis potiti inſignibus, in eodem cum Chriſto in æternum ſeſſuri throno per virtutum ſcalas aſcenderunt, gloriam ſapientes poſſeſſuri. Habes etiam tuos Sanctiſs: Epiſcop. Plocen. S. Vernerum Martyr. B. Simonem, B. Iacobum Confeſ. ſodales tuos, tam in vita quàm & poſt mortem diuinis Dei prodigiis claros: tum & S. Staniſlaum Koſtkã Soc. Ieſu Diœcæſis tuæ Roſtkouiæ natũ, multis miraculis clarum, à Clemente Octauo Papa in numerum Beatorum relatum. Hos tu omnes ſub tuo nomine, ex obliuioſæ hominũ memoriæ tenebris, in lucẽ ſub tuo nomine prodeuntes, tuo pallio Martine Reuerendiſs. Pontifex, contra maleuolorum linguas contege. Quorum ſi cum ſceptro mores, tum inſignibus virtutes tenueris, gloriam te non abſimilem confide poſſeſſurum, non immemor illius, quod dictum eſt ab Apoſtolo: Si ſocij eritis paſsionum, eritis & conſolationum. Vale, & vt Martynus, minimi clientis tui memor eſto. Dat. Crac. Domi Reueren. Dñi Hieronymi Reczayski, Archid. Crac. die iſtorum Sanctorum, xij. Nouembris, Anno Domini, M. DC. IX.

S. Dioniſius Areo. de diuinis nominib.

S. Cyrillus Episc: Alexand. Tom: 4. Homil: 1. de laudib. Virg. Mariæ.

D. Staniſlaus Hoſius lib: Confeſſ. cap: 60.

1604.

Veſtræ Illuſ. Reueren. Celſitud. veſtræ

deditiſsimus

Martinus Baroninus

Iaroſlauien: Clericus

Index Authorum ex quibus hę Historiæ, decerptę sunt: Primam partem significat litera A. Secundam B.

Corpus Chron. Pol. Tom: 2. & 3. in suis locis positi sunt. A B
Alber. Grancius de Vandalia. lib: 2. cap: 29. fol: 49. A B
Ioannes Herburtus reg. Pol Senator pol in Chro. lib. 2. c. 5. A B
Martinus Ioachim. Bielski *in Chro. pol* lib 8. fol. 345. A B
Vence: *Haggeg. Bohe in gestis Bohe. & Mor. in suis locis.* A B
Annonius in gest. pol antiquus Histo. *po. in suis locis.* A B
Laurent. Surius Carthus. hist sanct. Tom: 3. Mensis Maii 1. A B
Zacharias Lippelus Carthu. SS. Histo. Tom. 3 Men. Maii 1. A B
Petrus Skarga Po Soc. Iesu, in Vitis Sanct. A B Maii 5. Nou. 12
Frater Petrus de Bugiano *Prior S. Pauli Romæ Ord* S. Benedicti *in histo.* Monast. *in su loc.* A B
Frater Constant Caietan, Siculus Ord. S. Benedicti, *montis Casini in Chron. sui Ord in suis locis prætermissa.* A B
Domnus Luc. Hispanus *Camal.* Historiographus *sui* Ordinis lib: 1. cap. 11. lib: 2. cap: 12. A B
Domnus Augustinus Florentin. Camal. part 2. Hist. Camal. A B
Domnus Franciscus *Petrarcha Camal.* in vitis lib: 2. Sanctorum Camaldulensium prætermissa in suis locis. A B
Thomas Besius Romanus, Oratorii Congregationis, de signis Ecclesiast. Tom. 2. lib: 10. & 15. cap. 5. 3. & 7. A B
Frater Seuerinus Cracouien: Ord. Præd. pol. S. Theol. Doctor, in vita S. Hyacinti, lib: 4. fol: 395. A B
Domnus Siluan. Abbas de Razzis, Camaldul in vitis Sanctorum eiusdem Ordinis, in suis locis appositi sunt. A B
Domnus Thoma de minis Florenti *Camald. vir doctiss. & illust. Camald sodalitatis,* Sanctorum *Historiogra. amicus meus charissi. in Catal.* SS. *Camald.* fol: 7. & in Legenda SS. 21. A B
Catalog. SS. *Polo. Patronorum,* Martini Baronii Iaroslauie, A B
Missale & Breuiarium Camaldu. A B
Missale & Breuiarium Strigonensis *eccle.* A B
Missale & Breuiarium fratrum Eremit. S. Pauli pri: Eremite. A B
Missale Bohemiæ *& Morauiæ.* A B
Missale & Breuiarium Regni *Poloniæ.* A B
Lectiones Antiphonarum sanctorum Olomucensis Ecclesiæ Cathedralis de his sanctis ampl. s. tractat, manu scriptas habet. A

Vitæ Sanctorum Octo Fratrum Polonorum Martyrum Eremitarum, Ordinis Sancti Romualdi Camaldulensium, BENEDICTI, IOANNIS, MATTHAEI, ISAACI, CHRISTINI, ATHANASII, LAVRENTII ET BARNABAE Confessoris.

DIVINA fauente gratia, regnante feliciter in Polonia Boleslao Chabri Primo Christiano Principe & Sancto Rege, multi doctrina præclara & pietate admirabili religiosi & sancti viri floruerunt in Polonia, ob deuotionem & sanctitatem eiusdem pii Regis. In his BENEDICTVS & IOANNES, qui postulante eodem Rege, & Henrico primo Imperatore ex Peræo Italię Cœnobio insignis sanctitatis viri sancti Romualdi Abbatis Primi Institutoris & parentis Ordinis Camaldulensis missi sunt, vt Catehumenos & Neophytes in Polonia Christiana fide & pietate imbuerent, tanquam Apostoli & Angeli Dei, vnà cum sancto Adalberto Martyre (qui etiam sub disciplina eiusdem Sancti Romualdi Abbatis vixit, & postea Archiepiscopus Pragensis, ac tandem Gnesnensis creatus erat) ab eodem Beato Boleslao Rege honorificè ac munificè excepti sunt. Quemadmodum in vita Sancti Romualdi Beatus Petrus Damianus Camaldulensis, Cardinalis & Episcopus Hostiensis & Haggegus antiqui authores scriptum reliquerunt: quibus in tam pio & sancto opere

Primus Rex Polonię.

Stanislaus Secolouius in Officio Patronorum Polonorum.

S. Romualdus institutor Regulæ Camaldulensium, Año 993.

S. Adalbertus.

Authores huius Historiæ.

strenuè & feliciter occupatis, quatuor inprimis alii Poloni sanctitate præstantes socios sese adiunxerunt. MATTHAEVS, ISAAC, CHRISTINVS & BARNABAS, & nonnulli alii. Qui post necem Sancti Adalberti Quarti Archiepiscopi Gnesnensis & Martyris (cuius peregrinationis & laboris comites fuerè & adiutores) à Prussis multis contumeliis diuexati, & Prussiç finibus eiecti. In maiorem Poloniam redierunt vt in gestis Polonicis scriptores clarissimi asserunt, Vincentius Kadlubek manu scriptus Episcopus Cracouiensis, & Martinus Cromerus Episcopus Varmiensis, libro tertio, folio quarto: Mathias Miechouiensis, Canonicus & Medicus Cracouiensis, libro secundo, Cap: nono: Tritthemius de viris Illustribus, libro 3. cap: 311. Ioannes Herbortus, Regni Poloniç Senator, libro 2. cap: 6. fol: 23. Ioannes Longinus, aliàs Dlugossus, Canonicus Cracouiensis, & plures alii fide dignissimi. Nactique quem optabant locum solitarium propè Oppidum Kazimirz, in eo tuguriolum rudi opere & Sacellum excitarunt, ibique vitam sanctissimam in arctissima disciplina & obseruantia, in ieiuniis & orationibus assiduis traduxerunt, & doctrina exemploque quos potuerunt accolas & aduenas docuerunt, admirabiles cum aliis virtutibus, tum maxima abstinentiç studio, nam aliqui eorum semel duntaxat; alii qui imbecilliores erant valetudinis, bis in hebdomada, oleribus & aqua, pane nonnunquam adhibito: præterquàm die Sacratissimo Resurrectionis Domini victitarunt: ex quo rigore quòad vixerunt, nihil remittebant: vestibus è setis equorum confectis contenti, quies eorum non stragulum molle; sed si quid dandum erat fessis corporibus, humus lectus, & lapis capiti subiectus culcitra fuit. Tanta verò erat sanctitatis eorum fama, vt Boleslaus ipse pius & sanctus Rex

In Prussia multa passi & finibus eiecti.

In erēmū abeunt eorumque vita.

Cibus ipsorum.

Pietas Regis.

cos

eos accederet, & se ac Regnum suum orationibus ipsorum commendaret, ac ipsis liberaliter & Regię offerret ingens auri pondus, & centum Marcas argenti propagandę causa religionis in ditione sua. Sed Beati Patres post aurum non abeuntes, nec in pecunię thesauris spem reponentes, nequaquam accipere volebant. Regia tamen gratia & liberalitate collaudata per Barnabam fratrem Priorem, munera & pecuniam eidem Gnesnam remiserunt: qui admiratus virtutem illorum, cùm melius intellexisset, eorum sanctitatem & vitę genus abdicationis & paupertatis voluntarię studiosum Deo Opt. Max. gratias egit, quòd regnum suum talibus viris illustrasset. Quid accidit, vix medium itineris Barnabas absoluerat: & ecce latrones qui erant milites Regis, ex familia Slaboszowskie, cupiditate pecunię intensi Rege, deducto in ciuitatem Konin, secretò reuersi noctu ad Sanctos Eremitas, quoniam cognouerant munificè à Rege donatos, auri sacra fame incitati, Sanctos viros in oratione nocturna occupatos comprehendunt, minis, plagis, vinculis, & vario cruciatu, igne, ferro, excarnificatos contrucidant; vtque tanti sceleris immanitas lateret ignem iniiciunt, & sacellum ac sex cassas, tum suppellectilem omnem pauperem, & quinque corpora Sanctorum flammis dant, vt his periisse crederentur. Verùm vt ignis ille Babilonicus tribus pueris minimè nocuit; ita nec horum tuguriola, corpora aut vestes adussit. O quàm mirabilis Deus in Sanctis suis. Occisis quinque his solus Barnabas quod abesset, incolumis est seruatus. Postquam verò de nece Sanctorum Rex audisset, subitò Gnesna aduolat curia, & è rure colonis aduocatis, latrones in syluis inuenit degentes arefactis manibus strictos gerentes gladios, fugę enim eis diuinitus negatum fuit præsidium: & cùm exitum & latebras in eadem sylua quærerent, minime reperire potuerunt. Locus verò vbi

Liberalitas & studium.

Prædones Sanctos inuadunt.

SS. Martirum mors Psalm. 64. Sapien: 18

Incenduntur.

Miraculum.

Dan: 3. Psal. 67.

Barnabas absens incolumis.

Miracula.

Apoc: 11. Angeli canunt.

Homicidis parcitur Dei prouidentia.

Petrus de natalibus in Catalogo Sanctorum lib: 5 cap: 129. fol: 90.

Sepultura Martirum.

Sanctorũ iacebãt corpora, clarissima luce collustratus, dulcissimis angelorum vocibus resonebat, quo prædones illi vincti deducti, cùm essent Dei clementia & Sanctorum meritis mirabiliter soluti, à Rege quoque impune dimissi sunt. Qui etiam pœnitentia ducti patrati sceleris iisdem Martyribus in Regula & religiosę vitę genere successerunt, ac vitę huius finem sanctissimè clauserunt. Rex verò Boleslaus Sanctos quos viuos coluit, extinctos crudelissime, beatissime, honorificentissima sepultura Kasimirię condidit. Sequenti autem post sepulturam nocte apparuerunt eidem Regi, Sancti Martyres, ac fulmine & verbis magnificarunt, quod per diram necem & Martyribus dignam adepti sunt cælestia regna, gratiasq́ue egerunt, quòd eos viuos & mortuos tanta gratia semper complexus fuerit. Denique summa laude extulerunt, quòd homicidis pepercerit, non enim decebat sanguinem Martyrum, sanguine vindicari, & vitę cælestis beneficium morte crudeli compensari. Pollicitiq́ue sunt ei pro ipsius & regni totius incolumitate diuinam Maiestatem semper deprecaturos, patronosq́ue & protectores temporibus sempiternis eiusdem futuros. Quorum nomen æterna memoria dignum & honore, vtinam vniuersa Polonia tanquam ciuium suorum, & Diuorum tutellarium dignè coleret & coluisset semper. Post verò aliquot annos, Anno 1005. corpora eorum translata sunt Gnesnam (quę tum sedes & caput Regni erat) ibique in Ecclesia Cathedrali in eadem tumba deposita sunt.

SS. tutellares Polonię.

Corpora Gnesnam translata. Postea Posnaniam translata Anno Domini 1036

Barnabas restaurat Eremitorium.

Barnabas verò frater Martyrum orationibus assiduis, atque aliis carnis afflictationibus addictus magnopere delectabatur, non ereptos, & præmissos ad coronas; sed quod & vitę eorum religiosę fuit, non etiam esset mortis gloriosissimę particeps, restaurato Eremitorio & cellulis in eodem loco, cum aliquot sociis piis, ac delectis, deuotus permansit, & vita functus est, mandatoq́ue

toque eiusdem Sancti Boleslai ad fratres suos appositus, vt quibus in solitudine fuisset religioso genere viuendi, & in cælesti patria coniunctus, in terris eodem tumulo cum eis conditus corpore quiesceret, & quos vitę & laborum societas arctissimo vinculo sociauerat, eadem memoria & sepulchrum complectere tur, populus verò acceptorum ab iis beneficiorum eodem sacro monimento exercitatus, perpetuam eorundem conseruaret memoriam, cùm præsertim tanta fuerit horum viuorum & Apostolorum Polonię sanctitas, tanta deuotio, tanta animi fortitudo & constantia, tanta animarum cura, tanta in prædicando & docendo solicitudo, vt breui tempore tota illa prouincia ad Christum Dominum à feda idolomania conuerteretur, tanta in vigiliis austeritate vitę constantia, tanta vitę & miraculorum admirabilitas, vt morbis oppressos, aut à dæmonibus obsessos, aut aliis casibus afflictos, sola oratione liberarent. Plurima sunt singularia, vnum referam: Quædam matrona Nobilis deuotionis causa; cùm desideraret inuisere locum illum, in quo solitarii isti manebant, iam ob sanctitatem & merita celebres non in illa Prouincia tantùm; sed toto Regno eis eleemosinam, scilicet piscem viuum, qui vulgo Salmon appellatur, obtulit: quem cùm offerret, cecidit in terram piscis ille Eoque in loco statim fons emanauit, qui vsque ad hoc tempus durat. Piscis verò cùm ad vescendum prępararetur fratribus pro prandio, alius similis genere & magnitudine, diuino miraculo apparuit in eadem aqua, vbi fons mirabiliter eruperat: qui cùm comestus esset, diuina clementia & miraculo, alius loco illius extitit, qui per longum tempus victui eis fuit quotidiano. Et quàm diu fratres illi vixerunt, piscis quoque durauit: postquam verò Martyrii coronam adepti sunt, piscis euanuit: sed fons ille ad hoc vsque tempus durat, cuius aqua, magna eo loco Deus signa & miracu-

Actor: 8. Psalm: 33.

Memoria Sanctorum.

Miracula & virtutes Sanctorū.

Stanislaus Hosius Cardi: lib. 1. Confess cap: 38.

Miraculum piscis.

Fons mirabilis.

Tob: 6.

Exodi 17.

Gene: 2.

Nota virtutem Dei

Zach: 13.

Piscina. Ioannis 5.

Qui eam bibunt & corpora sua lauant

la facit. Cœci enim visum recipiunt: leprosi mundantur; claudi, & surdi, variisque morbis sanantur. Sit nomen Domini benedictum. Quod & hac recognitione & miraculo infra scriptus Præsbyter his verbis attestatur.

Miraculũ.

Anno Domini, 1560. die 16. Iulii. Ego Martinus Wroblonius, siue Passer Casimiriensis, Archidiaconus Sandomiriensis, & Decanus Cunouiensis, fidem indubitatam facio, & præterea coram Deo omnipotente & Sanctis Angelis eius confiteor, anno ætatis adolescentię meę decimosexto, cum quodam die deuotionis meę causa, erga hos Sanctos gloriosos Patronos nostros Casimiritanos Camaldulenses Martyres, vigesima quarta hora sero, solus intrauissem in Ecclesiam Casimiriensem Sancti Matthæi Parochialem: vbi quiescit venerabile corpus eiusdem Sancti Matthęi Eremitę Camaldulensis Martyris, & dum parũ interim genibus flexis orarẽ, statim vidi cereos illuminatos in octo altaribus separatis, in honorem octo Fratribus Eremitis depictis & dicatis, videlicet, Ioannis, Benedicti, Isaaci, Christini, Barnabę, Athanasii, Laurentii, & in medio Ecclesię Sancti Matthæi, vbi quiescit corpus Sancti Matthæi, sed aliorum sancta corpora quiescunt in suis Ecclesiis sibi dicatis, in candelabris aureis accensis appositos: postea apparuit mihi magna & pulcherrima processio, vtriusque sexus sanctarum personarum, Regnique Polonię Patronorum, coronis aureis capitibus ipsorum tectis, vestibusque diuersis prætiosis decoratos, in manibus portantium, alii quosdam palmas, alii flores odoriferos: posteriores verò ordine vidi octo viros venerabiles, senes, canos, religiosos, albis vestibus indutos cum palmis præterire, cantantes canticum: Hęc est dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Psalmo 116. Postea, Leuauit: ego tamen lætus ex ipsa sancta processione remansi solus in Ecclesia, Laus Deo,

Apparuit pulcherrima processio Sanctorum vtriusque sexus personarum.

Aliud

Aliud miraculum Octo Fratrum Eremitarum Camaldulensium. Anno Domini 1569. Dum Reuerendus Pater Stanislaus Nucius, Ordinis Sancti Francisci de obseruantia, Casimirię in suo Conuentu habitaret, vbi corpus Sancti Ioannis vnius Martyris Eremitę Camaldulensis quiescit, velletque componere pro sua deuotione cantum Prosę, de laudibus Sanctorum Martyrum Eremitarum Camaldulensium, quod ita incipit: Tota mente iubilemus, &cę. Complecti inchoatum carmen perficere nequiuit: substitit hic grandæuus senex, annum enim circiter octuagesimum agebat. Musicus enim perfectissimus erat, secumque cogitare cępit, quomodo tandem perficeret: itaque prouolutus in terra, ad sepulchrum Sancti Ioannis Camaldulensis, orare Deum ardenter cępit, vt ille viam perficiendi operis indicaret meritis Sancti Ioannis. Nec mora videt Sanctum Ioannem, vnà cum aliis Sanctis Fratribus Camaldulensibus, in magno lucis splendore, sibique ita loquentem audit: Stanislae fili mi, surge & carmen inchoatum perfice, disparent, ille sic gratus actis quod incipit, feliciter finiuit: quod in eadem Ecclesia singulis diebus decantatur, quod ad vesperas decantatur. Tota mente exultemus, vt infrà. Sanctus Laurentius Polonus Posnaniensis Eremita Camaldulensis, sancti Adalberti Martyris & Archiepiscopi Gnesnensis, cum Sancto Athanasio, Ordinis eiusdem socius. Prædicationisque verbi Diuini in Prussia Comes, vir sanctitate conspicuus, & multis virtutibus clarus, multo fœnore & non modico fructu prædicationis suę apud gentiles Pruthenos reportato, sæuitiam ipsorum, et quæuis dira supplicia pro nomine Christi nihili putans, constantissime Christum et eius Euangelium prædicando, ad extremum ab eisdem Pruthenis concisus, Martyrii palmam promeruit, cęlestisque gaudii hęres, effectus pro nobis ad Deum interpellat. In Prussia sepultus.

Aliud miraculum.

Apparitio Sanctorũ.

Sancti Laurentius & Athanasius Poloni martirii coronam adepti sunt.

San-

Psal: 115. Sanctorum Martyrum tanta nominis est celebritas, vt plurimę Ecclesię, in quibus Cathedralis Posnaniensis eorum reliquiis gaudeant. Extant et nunc sex ędiculę sacrę in loco illo, in quo ex rudi materia cassas extruxerant, quę ornantur et coluntur deuotione fidelium, cùm propter memoriam martyrum; tum et quinque vulnera Christi, quę mirificè homines fideles, qui locum illum sacrum frequentant consolantur. Agitur festum illorum Pridie Idus Nouembris, quoniam ea die passi cælestia meruerunt, et à Iulio Secundo Pontifice Maximo, ob pręclara miracula et sanctitatem vitę, in numerum Sanctorum asscripti sunt. Delphini Generalis Camaldulensium eiusdem Eremitici Ordinis curę et studio, ac congregationis totius fratrum, Anno Domini, 1508. Quo eodem tempore, multi pii et Sancti viri in eodem Regno Polonię floruerunt. Cyrillus, Methodius et Iustus Confessores et Pontifices, Sarmatięque Apostoli, fratres germani Constantinopoli, Sanctus Adalbertus Quartus Archiepiscopus Gnesnensis et Martyr. Duo Sancti natione Russi fratres germani, Borissus et Glebus, Ducis Kiiouię filii: qui à fratre Suetopelco minore natu dolo sunt occisi, ac Kiiouię (quę Metropolis est Magnę Russię) eodem monumento honorificentissimè sunt conditi, tum etiam temporis Sanctus Bonifacius Italus, Ordinis Camaldulensis Archiepiscopus et Apostolus Russorum Apostolicę sedis Legatus in Russiam, in qua propter nomen Christi et fidem Catholicam capite truncatus est. Sanctus quoque Brunonus, Ordinis Sancti Benedicti, Episcopus Russorum, sedisque Apostolicę in Prussiam Legatus, in quo munere et solo propter confessionem fidei, à barbaris crudeliter necatus est.

[Margin notes: Posnanię Ecclesia ex eorum reliquiis gaudet. — A Iulio 2. Catalogo Sanctorum ascribãtur. — Frater Delphinus Generalis Camaldulensis. — Viri Illustres & Sancti eo tempore. — Sancti, Cyrillus Methodius & Iustus. — S. Adalbertus. — S. Borisus & Glebus. — S. Bonifacius. — S. Brunonus.]

Sub idem tempus, duo Sancti Eremitę, eiusdem Ordinis Camaldulensis, discipuli Sancti Barnabę, Andreas Zeorardus Confessor, et Benedictus Zuirardus Martyres Poloni in Pannonia, apud

[Margin note: S. Andreas Zeorardus & Zuirardus.]

apud Sanctum Stephanum Regem Vngarię, miraculis, sanctitate, doctrina claruerunt: ac in monte Ferreo in Ecclesia Sancti Emeriani Martyris, in vno eodemque sepulchro sepulti sunt. Qua tempestate felici natus est Sanctus Stanislaus Nobili genere, in Dioecesi Cracouiensi, pago Sczepanow, patre Sulislao, matre verò Bogna: qui postea fuit Episcopus Cracouiensis: ibique propter veritatem Martyrio affectus, & ab Innocentio Quarto in Diuorum coetum relatus. Item eodem æuo, ac non longò post temporis interuallo, Sancti viri vixerunt, Beatus Gaudentius Bohemus, frater germanus Sancti Adalberti, Archiepiscopus Gnesnensis Quintus: & Beatus Aaron Gallus Septimus Archiepiscopus Cracouień. Primus Abbas Tineceń. Ord. S. Ben.

Beatus Hieronymus Pragensis Bohemus Eremita Camaldul: Ordinis S. Romualdi, vir sanctitate vitę clarus, sacrarũ literarum doctrina insignis, prædicatione fidei Catholicę felix, multarumq; animarum Christo lucrator extitit. In Lithuaniã verbi diuini prędicandi gratia, ad magnum Ducem Lithuanię Vitoldum (à quo & benignissime suscipitur) missus, vberrimos fructus ibidem, religionem Christianam propagando, fecit. Tandem ad Samagetas ac Iugotas idolatras se conferens, qui arborem mirę magnitudinis pro Deo venerabantur, barbarie & oculorum acie carentis genti, Christum prędicare studuit, arborem insensatum stipitem, ne minimam quidem notam deitatis habentem; sed saltem creaturam Dei, igni, & vsui humano aptam, asserens: quam mox securi accepta in eorum oculis concidit. Coeca verò gens dæmonum superstitionibus imbuta, dentibus frementes illico eundem diris suppliciis discerpissent, nisi auxilio Ducis Vitholdi ab eadem reciperetur, qui aliunde pergens ac Christum vbique prædicans, multos ouili Domini aggregauit: qui sicuti in vita, ita & post mortem miraculis claret. Plenus dierum bonorum, san-

B. Hieronimus Bohemus Camaldulensis.

Samagitię prædicator.

ctè in Domino Venetiis obdormiuit, Anno Domini, 1440. die 17. Iulii. Æneas Syluius in Corpore Chronicarum Polonicarum, Tomo I. fol: 2. Thomas Bozius Romanus, de signis Ecclesię, lib: 10. fol: 795. Catalogus Sanctorum Regni Polonię Patronorum, Martini Baronii Iaroslauiensis, fol: 106. fauent eius vitam.



AD ROMANOS 8. AD HAEBR: 11.

FRatres, Sancti per fidem vicerunt, regna operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinguerunt impetum, ignis, effugauerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate: fortes facti sunt in bello, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alii verò ludibria, & verbera experti, insuper vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis & in pellibus caprinis agentes angustati, afflicti, quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes. In montibus & speluncis, & in cauernis terrę, & hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt, in Christo Iesu Domino nostro.



VITÆ SANCTORVM QVATVOR FRATRVM POLOnorum Eremitarum Camaldulensium Confessorum, Ordinis Sancti Romualdi.

Quorum Festa sancta mater Ecclesia Catholica Romana celebrat, infrà scriptis temporibus,
scilicet:

BARNABAE Confessoris, illorum Magistri, quì claruit Anno Domini, 1005. die 10, Maii.

ANDREAE Zeorardi Confessoris, qui vixit Anno 1009. die 6. Iulii.

IVSTI Confessoris, qui obiit Anno Domini, 1008. die 9. Iulii.

BENEDICTI, Zuirardi Martyris (quì floruit Año Domini, 1011. die 6. Maii)

Pars Secunda.

AVTHORE MARTINO BARONIO
Iaroslauiense Clerico.

Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam, ipsi docebunt te, &c. Iob 8.

CRACOVIAE, *Basilius Skalski impreßit*, Anno Domini, 1609.

IN ARMA ILLVSTR: D. DOMINI STANISLAI Siecinski, Episcopi Præmisliensis.




Stanislae potens pietate, fideq; Siecinij
Premisliæ, superas tecta superba tuæ.
O felix Præsul, quis nam tua facta recenset
Vt par? Quis proauûm dexter, alta petis.
Alta petis? quia celsa sapis. Quid Musa loquaris?
Altius hic surgit, tu petis ima, tace.

M. BARTHOLOMAEVS *Wrześniã.*
ILLV.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS:
in Christo Patri Domino,

DOMINO STANISLAO SIECINSKI, DEI ET APOSTOLICAE SEdis gratia, Episcopo Præmisliensi, ac Senatori Regni Poloniæ, Mœcenati suo collendissimo:

Perpetuam felicitatem optat.



Vantum præsidij in Christianorum castris, Sanctorum patrocinia, implorataq; ab ipsis auxilia omni seculorum tempore attulerint, afferantq; quotidie, non solùm te Præsul Illustrißime, sed & neminem, qui modò in rebus sit versatior, fugere arbitror. Quot enim victoriæ ex hostibus à Christianis partæ relatæq; fuerunt, singularem: Patroni alicuius siue plurium opem cælitus sibi præstitam habentes? Neque verò in huius rei adeò perspicuæ, confirmatione, multum laborandum est. Pleni namque sunt Historiarum libri, plena annalium volumina, huius rei exemplis. Quoties enim nostri (vt reliquos omittam) SS. Stanislai & Casimiri Principis Poloniæ, celeberrimorum huius regni Patronorum, opem in bellis inuocatam senserunt. Quare illustres militia viri, prudentiaq; insignes duces, in quibus caput & vita totius exercitus consistit, adsciscere solent, officij sui administrum & custodem sanctum aliquem, & reginis successusq; sui comitem & Patronum. Nec mirum, siquidem & Ethnicos ipsos à vera pietate Deiq; cognitione multum alienos Deos Deasq; suas in castris fouisse & coluisse legimus. Enimuerò si hoc in eo bello, quod cum hoste visibili, armis & ferro geritur, duci obseruare & laudabile est, & valde necessarium: quantò magis illi, cui exercitus ad profligandum illum hostem, cuius & vis potestasq; validior (quippe cùm non sit potestas in terra, quæ poßit resistere illi) & congressus formidolosior, à Deo commissus est, hocipsum conferet: vt quàm plurimos Patronos habeat, qui se contra nequitias istas spirituales, aduersus exercitum suum singulare certamen instituentes, eique semper

Iob 5.
D. Stanislaus Hosius lib. 1. Confessi. cap. 58.

exitium molientes, & prudentia in detegendis illarum dolis, & auxilio in refringendis & proterendis conatibus adiuuent. Talem cùm te Illustrißime Domine, gubernator omnium Deus elegerit, tuæq; curæ, insignem militum sibi gratißimorum turmam, animas nimirum tot, quot in Episcopatu Præmisliensi (ad quem te dignißime euectum, & speciali Dei prouidentia sublimatum magno cum gaudio omnes boni vident) reperiuntur, regendam, gubernandamq; tradiderit: en tibi Sanctos certißimos vitæ tuæ defensores, gubernationisq; fidißimos adiutores, & hostium tuo exercitui acerrimos depulsores, Polonos Camaldulenses Eremitas, Barnabam, Andream, Zeorardum, Iustum & Benedictum: tum etiam & alios Sanctos, videlicet, Valentinum Episcopum, Candidum Militem, & Paulinam Virginem, Martyres: nunc recenter à Paulo V. Pontifice Maximo, miseratione diuina, è Roma Iaroslauiam cum summo honore translatos, & Patribus Societatis IESV pro Patronis, & Regni Poloniæ populo deuoto tutelares datos, Anno Dñi, 1609. die 11. Augusti, tibi offero. Horum vita compendiosè descripta, sub tuo nomine, per me, Deo iuuante & ordinante, qui suorum Sanctorum nomina, nulla vnquam obliuione interrire permittit, (viuent enim nomina illorum in æternum) in lucem prodit. Te illi suæ laudis defensorem, mihiq; beneuolum amicum habere postulant, eam gratiam animiq; fauorem, sua ope intercesßioneq; vicißim cumulatißimè cælitus reddituri. Vale Præsul Illustrißime, & Sancti Dei benedicant tibi. Datum Cracouiæ, domi Reuerendi Domini Hieronymi Reczayski, Archidiaconi Cracouien: 17. Septembris, in Festo Translationis Sancti Stanislai, 1609.

Illustris. & Reueren. celsitudinis vestræ

deditißimus

Martinus Baronius
Iaroslauien, Cleric.

Vitæ Sanctorum Quatuor Fratrum Polonorum Eremitarum Camaldulensium Confessorum, Ordinis Sancti Romualdi.

BARNABAE CONFESSORIS,
ANDREAE ZEORARDI CONFESSORIS,
IVSTI CONFESSORIS,
BENEDICTI ZVIRARDI MARTYRIS,



Anctus Barnabas, natione Polonus, Eremita Camaldulensis, famulus & Confessor Christi gloriosus, in Oppido Maioris Poloniç, Casimiriç dicto, humilibus licèt timentibus tamen Deum parentibus, patre nimirum Ioanne, matre Anna natus: à pueritia studiis diuinarum rerum liberaliumque artium disciplinis eruditus: rerum terrenarum relicta collume, ac vitç communis periculis ad cælestium contemplationem & imitationem se contulit. Hic igitur ex octo fratribus Camaldulensibus Polonis martyribus, de quibus ante in Regno Poloniç ad Oppidum Casimiriam (quę distat à Cracouia circiter quadraginta milliaribus Polonicis) ipse octauus negotiorum causa, velut Magister ipsorum & superior absens. Diuina sic disponente voluntate cum graui mœstitia, quod per suam absentiam Martyrii amisisset coronam, viuus remansit. Intra hoc tamen, quod post mortem fratrum, superuixit tempus, multos alios socios & discipulos, ad diuinum cultum congregauit in Polonia. Inter quos Andream Zeorardum,

Spiritu prophetico clarus. Socii eius Andreas & Benedictus S. Barnabæ morientis, visibilibus oculis animam in cælum deducunt.

dum, Iuſtum, & Benedictum Zuirardum. Poſtea tria clariſſima ſui Ordinis lumina, cum his in maxima vitę & morum ſanctitate viuens, prophetico etiam clarus ſpiritu, multis præterea miraculis, ac piis & ſanctis probatus operibus, die 16. Iunii, Anno ſalutis humanę 1005. ſanctè in Domino obdormiuit. Fuit idem adeò charus Boleſlao Chabri, Primo Chriſtiano Regi, vt eiuſdem mandato ad fratres ſuos quinq; Martyres, ipſe quoque animo & voluntate Martyr, Confeſſor Chriſti apponeretur, vt quibus in cæleſti patria eſſet coniunctus in terris, eodem tumulo quieſceret.

Ad promouendã in Panonia fidem Catholicã S. Stephanum tunc Regem adeunt.

ANDREAS verò & Benedictus poſt eius mortem, in Vngariã ſeceſſerunt: non timoris alicuius cauſa; ſed vt commutatione loci, doloris quoque ex defuncti Barnabę morte ſubleuarent acerbitatem, & religionis ſuę lumen inferent: tempore præſertim illo, quo ſub Chriſtianiſsimi Stephani Regis imperio & auſpicio: nomen & religio Chriſti celebrari cæperat. In Panonia adhuc enim Regem eius audita fama, multi ex variis Canonici & Monachi confluebant, vt tanti Regis religione & conſuetudine gauderent, & nouum & inauditum ſanctę conuerſationis, genus illis locis introducerent, & piis exemplo ſuo vitę ſanctioris duces ſe præberet. Ad quos quidem Sancti Spiritus inſtinctu ex Regno Polonię ſeſe aggregauerunt. Duo illi viri deuotiſſimi, Sanctus Andreas Zeorardus, & Benedictus Zuirardus: Quorum alter Andreas Zeorardus, in partibus minoris Polonię, in Opatowiec Oppido, propè Viſtulam fluuium, & piis ac Chriſtianis honeſtis parentibus natus, Patre Marco, Matre verò Agnetę, qui cum pia educatione parentum in lege & præceptis Domini recte eſſet inſtitutus, Chriſtiana religione; tum primùm in Polonia, poſtea in Vngaria efloreſcente vitam Monaſticam duxit in Cœnobio Zabor dicto, in honorem Sancti Hyppoliti Martyris,

Andreas Zeorardus in oppido Opatowiec natus.

capud

(apud Nitriam Ciuitatem, in ea videlicet Sclauorum & Hungarorum ditione, quę Morauię Danubioque confinis. Sarmatia Pannonię olim dicta fuit) excitato, in quo habitu accepto, a Philippo Abbate, quem ante à Sancto Barnaba in Polonia susceperat solenni voto Regulę Sancti Romualdi sese obligauit: & Andreas nominatus Eremiticam vitam agere statuit, quo in statu quanta contritione cordis & corporis sese afflixerit ex relatione discipuli eius, & collega Beati Benedicti. Maurus quę audiuit paucis posteritati mandare decreuit: Ego quidem, ait Maurus, Deo miserante nunc Episcopus, tunc autem puer scholasticus Sanctum virum Benedictum vidi, sed quę esset eius conuersatio, non visu; sed auditu percepi. Ad nostrum enim Monasterium in honorem Beati Pontificis Martini consecratum, cùm Monachus Benedictus sæpè venisset, mihi hæc quę sequuntur de Sancti Andreę vita narrauit. Postquam venerabilis vir Andreas in Eremi solitudinem sese abdidit. Memor illius D. Pauli, 2 Cor: 4. Sed is qui foris est noster homo corrumpitur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem, corpore debilitatus, spiritus autem corroboratione, ieiunium ita seruauit, vt tribus diebus ab omni re, quę mandi posset abstinuerit, amore & imitatione eius, qui propter homines homo factus, non quadraginta tantum diebus ieiunauit, sed toto vitę tempore in summa abstinentia & austeritate vixit. Cùm autem quadragesimale tempus adueniret exemplo vitę regularis, sub qua Zozymas Abbas degebat, cui quadraginta quinque Dactili, tantum quadragesimę escam fuere, ipse quadraginta 5. nucū esu contentus, diem sanctę Resurrectionis cum gaudio expectauit, iisdem verò & aliis diebus, licèt tenuis victus ad corpus reficiendum non solùm, non sufficeret; verùm etiam Spiritum conficeret: ipse tamen orationi assiduè deditus, nunquam à labore cessauit, sed syluam ingressus, ligna cædebat,

Sarmatia Pannonię

Zeorardus fit Monachus & Andreas appellatur

Psalm: 54. 41. 101.

Matth: 4. Andreas per totam quadragesimam solis 40. nucibus trāsegit.

Deut: 8. 3. Reg: 16.

Ex carnis mortifica- tione semi- uiuus vehi- culo ab Angelo in cellam de- fertur.

in quo labore & ieiunio, cùm iam corpore langueret, & spiritu deficiente quasi mortuus iaceret, iuuenis pulcherrimus aspectu, & vultus angelici impositum vehiculo, ad cellam suam eundem deuexit, at extasi quasi abreptus erat decedente, postquam ad se reuersus, quid erga ipsum misericordia Dei egisset, agnouit suo prædicto discipulo suo Benedicto, qui mihi hæc narrauit confessus est obstringens eum iuramento, ne ante diem obitus sui cuiquam id patefaceret. Post laborem autem quotidianum diurnum corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quę magis tormenti & excruciationis quàm quietis vice esset, complanatum truncum quercinum sepuit, & per ipsam sepem, arundines accutas ex omni parte infixit. Ipse verò in trunco sedens, tali sedili vsus artium reiteratione, vt si fortè corpus sopore grauatum quamcunque in partem se flecteret, arundinum acie sauciatus euigilaret: adhæc ex ligno coronā factam capiti suo circūponebat, ad quam in partibus quatuor, totidem lapides appensos sustinebat, vt caput sopitum quocunque inclinaret, à lapidibus læderetur. O Beati viri, beatam crucem & coronam quam beata & æternę vitę corona in cælo compensat. O inauditum genus confessionis, quod prætiosius facit regnum promissionis! Non cibus, non requies, auferre potuit, dulcedine vana vitam æternitatis, & nequam spiritus aditum inuenire nequiuit deceptionis. Hæc quę dicta sunt à discipulo eius Benedicto (gentis itidem Polonę) referente cognoui qui & ipse Patre suo defuncto locum eundem inhabitauit. Cùmque per tres annos exemplo Magistri districtè vitam egisset, latrones qui multam pecuniam ipsum habere existimabant, spe prædę, ductum ad rippā fluminis Vag iugulauerunt, & in flumen percipitauerunt. Diu verò corpore eius quęsito, & non inuento perintegrum annū postea visa est aquila alba in rippa eiusdem fluminis, quasi custos & index

Diuinus in literis.

Nocturna quies.

Eccls 46. 48.

Mortificatio carnis.

S. Benedictus a latronibus trucidatur & in Vag fluuium proiicitur

sacri

facri corporis: quo indicio vbi lateret in vndis, Deus cognosci voluit, ex aquis extracto corpore ita integrum ac recens repertum est, ac si paulò ante extinctum fuisset.

Corpus post annum aquilæ indicio illud quotidie obseruantis incorruptum reperitur.

Conditus est autem Sanctus Benedictus in Basilica Beati Emeriammi Martyris in eodem sepulchro, in quo asseruabantur ossa Beati Andreę eius Magistri, de quo Philippus Abbas mihi Abbati de constituto narrare consueuerat. Cùm tempus resolutionis ipsius immineret, mandasse iis, qui secum erant, ne vllo vestimentorum suorum exueretur, donec Abbas Philippus, quem miserat accersitum adesset: qui cùm venit, depositum est corpus venerabile in terrā vt lauatur ex more Christiano: cathena ærea, qua in vita eius corpus cinctum erat; ita intimis visceribus eius inhęsisse animaduersa est, vt interiori vitę passus fuit. (ô mira res & inaudita) interiore esset ita obducta & voluntarium, hoc genus Martyrii planè lateret & latuisset, nisi ad vmbilicum nodus eiusdem cathenę apparuisset: quo soluto, dum cathena ex corpore trahitur sonus costarū elisarum ac confractarū auditur: cathenę partem ego Maurus ab eodem Patre & Abbate impetraui, & diu religiosè custoditam petiui, Ducis Christianissimi Geizę concessi. Sepulto quoque Beati viri corpore, quę per reuelationem Abbatis Philippi cognoui, & cognitu digna esse videbantur memoria notaui. Tempore quodam inter latrones, quorum greges maximi & plurimi in solitudine illa Eremi vagabantur, pugna oborta esset, vnus ex illis letalibus plagis sauciatus est, quem socii ad cellam superius dicti viri Andreę, cuius fama iam ad omnes circumquaque diffundebatur deferre statuerunt: sed cùm adhuc locus longè abesset, latro in via extinctus est. Corpore verò eius ad cellám deportato, & in eadem posito: media nocte, cùm ossa sepulchro commendare vellent, subitò spiritu reuerso mortuus resurgere cępit. Illis autem qui aderant valde perterritis, & prę

Apocal. 8

Abbas æream Cathenā lumbis mortui S. Andreę infixam cum fragore costarum frangore.

Isaiæ 58.

Miraculū. Quidam mortuus in cella eius repositus spectātibus sociis ad preces S. Andreæ resurgit.

Actor. 20.

Idem resuscitatus socios ne fugiant monet, & S. Andream se inuisere prædicat.

& prę pauore fugientibus, resuscitatus eos vocabat, dicens: Nolite fratres formidare, neque fugere, Sanctus Zeorardus me à morte suscitauit ad vitam. Illis autem prę gaudio plorantibus, & vt discederet, cùm eis rogantibus, negauit se vnquam ab ea cella discessurum, sed ibi in perpetuum Deo & Sancto Zeorardo seruiturum. Fecit quod promisit, & vsque ad obitum suum ibi permansit.

4 Reg 13.

Aliud miraculum.

Aliud quoque eius miraculum, nequaquam reticere volui, quod eodem Philippo Abbate narrante didici. In ciuitate Nitria, quidam reus ad furcam damnatus & suspensus est, hic breui interuallo solutus Dei misericordia, venit ad Abbatem Philippum, & qualiter per merita Beati viri Andreę liberatus esset indicauit, retulit enim quod cùm inquit damnatus essem, & nomen ipsius Sancti implorassem, subleuatus in patibulum & demissus, eodem puncto temporis manibus suis Beatus vir Andreas me sustentauit. Et cùm me omnes mortuum putassent, & domum reuertissent. Idem Beatus vinctum & pendentem manu sua soluit & abire iussit. O quanti meriti vir ante Deum, qui visibilis apparens, homines soluit, cùm inuisibilis inter Angelorum choros locum possideat.

Tale miraculum S. Casimiri Poloniæ Principis.

Ioan: 11 & 12.

Simile exemplum. S. Heduigis Reginę Polo.

Aliud miraculum.

Stanislaus Socolouius in Officio Patronorum S. Andreas apparés Lutheranos ex Ecclesia baculo ignito expulit

Item, Anno Domini, 1569. die 16. Iulii, in die festiuitatis Sancti Andreę Zeorardi, tempore Sigismundi Augusti Regis Polonię factum est: & dum vna vice Lutherani nequitia inflati cum magno impetu conabantur, vt Ecclesiam siue Cellam, in qua viuens Sanctus Zeorardus tot annos habitabat, populum Christianum orantem, & diuina obsequia peragentem, cæperunt foras ex Ecclesia eiicere: Tunc populus eleuatis manibus & oculis in cælum, cepit cum magna voce clamare ad Dominum, dicens: Sancte Andrea Zeorarde serue Dei, nunc defende Ecclesiam Dei, ab impiis Lutheranis inimicis fidei Christi Catholicę: statim mox dicta, Sanctus Andreas Zeorardus visibiliter omnibus apparens cum baculo ignito, in manu tenens igne scintillantem ex cęmiterio Ecclesię illos

foras

foras omnes Lutheranos expellens, percutiens eos baculo ignito, & dicens illis: Domus mea, domus orationis meę vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncā latronum: Ite meledicti Lutherani in ignem ęternū, paratum diabolo, vobis, & angelis eius: inimici crucis Chriſti, Matth: 21. & 25. Multos diuinà vltione igne comburit, alios excœcauit: ex quibus Lutheranis multi ſunt in hac cœcitate miſerabiliter mortui: cęteri verò poſt pœnam, ad fidem Catholicam conuerſi ſunt, & nihil mali Eccleſię nocuerunt, ac pro maiori fide huius miraculi adhunc vſque diem hodiernam in cęmiterio templi, eſt quippè lapis niger, magnus, quadriangularis, durus, ſilicinus, vt menſa planus, longus trium cubitorum, altus & largus vnius brachii: in quo lapide ſunt adhuc viſa veſtigia plantę pedum, in quo apparuit Sanctus Andreas Zeorardus, eiiciens Lutheranos ex Eccleſia & cęmiterio Dei myſterio, die hodierna miraculum claret: quę diſtat à Cracouia Polonicis miliaribus octo. Mortuus tandem in Vngaria, in monte Ferreo ſepultus die 16. Iulii, Anno Domini, 1009. A Calixto Tertio Pontifice Maximo in numerum Sanctorum appoſitus. Multa & alia quàm plurima Deus per illum operatus eſt, ſanè ſi ea, quę per memetipſum didici, huius viri miracula, aut quę fidelium narratione cognoui, & quę adhuc quotidie apud Sacrum corpus eius declarantur, ſcripto aut ſermone explicare vellem: calamus & verba non ſufficerent, ſiquidem per eius inuocationē & merita ſunt mortui reſuſcitati, cœci illuminati, permultique alii languenti homines, miris modis ſunt priſtinę ſanitati reſtituti, pręſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & precibus Beati, qui & oret pro nobis cum aliis ſociis ſuis in ęterna felicitate, ſicut Patronus & aduocatus noſter in conſpectu Dei, precibus noſtris poſcamus. Eſt verò Sanctus hic à Calixto Tertio Pontifice Maximo in numerum Sanctorum relatus, vnà cum

sociis suis, & die 16. Iulii solenni colitur memoria. In eodem loco mansit Sanctus Bonifacius Martyr Camaldulensis, & Archiepiscopus Russorum: ibique Martyrii coronam adeptus est, extat etiam adhoc vsq; nostrum tempus in Nitria, vbi manserũt isti Sancti Patres, Andreas & Benedictus, vna parua vinea muro circumcincta, quę Sanctorum manibus propriis, fuit plantata in vsum diuini officii Ecclesię: ex qua per totum annum suppetabat, & non deficiebat vinum, de qua vsque ad hodiernam diem in eadem copia abundat, & non deficit per misericordiam Dei, & amorem in Sanctos suos gloriosos. Quod si quis ex vinea ea indigne vel furtiue vuas comederit, aut vini aliquem fructum gustauerit, impestiferam febrim incidit, nec pristinę sanitati restituatur, donec pro oblatis pœnitentiam egerit. Nunc hæc vinea ab hæreticis deuastata, à nulloque homine plantatur; attamen diuina clementia, vt & antea vberrimos fructus (vt alię vineę quę coluntur) producit. Infirmis verò, febricitantibus vinum præssum cum deuotione porrectum, sanitatem conferre, multorum fide dignorum testimonio comprobatur.

Mirabilis vinea.

Febricantes sanantur.

Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei & sicut palma cedri in Libano florebit, & multiplicabitur: cui Deus dedit scientiam sanctorum.

Sap: 10. Psalm: 91.

SANCTVS IVSTVS Confessor Christi dilectus, Ordinis Camaldulensis Polonus, discipulus Sancti Barnabę, ac socius Sanctorum Eremitarum, Andreę Zeorardi, & Benedicti Zuirardi, de quibus superius mansit in monte Lobsow apud fluuium Dunaiec, propè Opatowiec, octo à Cracouia milliaribus, honestis parentibus natus, Patre Casimiro, & matre Salomea, vit religiosę vitę exemplar & decus. Humilis & deuotus Beatę Ma-

Iustus vt palma florebit. Psal. 36. & 91. Oseæ 14. Ex relatione populi eiusdem prouinciæ de vita eius.

rię Virginis, manſuetus & verus obedientię filius, ſemper in omni inſtitutione & diſciplina, ſuperiorum & regularis vitę inſtituto obſeruator ardentiſſimus & conſtantiſſimus, adeò vt ad vnguem in minimo Regulę ſancti patris ſui Romualdi, non recederet talis & tantus cùm eſſet à Spiritu Sancto, per viſum eruditus. Non minus vita quàm doctrina clariſsimus fuit. Nam cum miſteria Scripturæ Sanctæ intelligere deſideraſſet, orationibus ſemper fuit & meditationibus intentus. Beatiſsimam Dei genitricem Mariam Matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſedulis precibus precabatur, vt ipſi à filio qui fons eſt ſapientię intelligentiam & ſcientiam diuinarum ſcripturarum impetraret, cui in viſu apparens Beatiſsima Virgo decorata ſplendore maximo cantu & choro Angelorum comitata, hæc ait. Iuſte, fili mi: Ego orationes tuas audiui, poſtulata impetraui: Ecce omnium ſcripturarum diuinarum tibi arcana pateſcunt, aperta & clara ſunt ad erudiendum alios deuotos meos: tu ergo firmus animo & robuſtus eſto in conſolationem, & multorum vtilitatem, labor tuus deriuabitur, tantum ne torpeſcas otio, nec gratiam tibi collatam in vanum accipias. Ex eo igitur tempore vſq; ad diem ſuę mortis tanto amore, deſiderio & ſtudio ſemper in lectione, oratione & ſcriptione erat aſsiduus: horis canonicis iuxta morem abſolutis vt diurno ac nocturno tempore liberius vacaret iiſdem Sanctis occupationibus, ita tamen vt in humilitatis, charitatis, orationis pro defunctis & viuis deprecationis exercitatione nihil remitteret. Alias eius virtutes admirabiles, nec præſentis operis eſt referre: Nec meę facultatis, cuncta cogitationum cordis & orationum puritas, num certe quę digna erat ſanctitate ſumma, poſt multa autem exercitia ſermonum & exempla vitę eximiæ pietatis hanc receptione Sacramentorum Eccleſiæ Catholicę muniſſet, & lachrimis ac deuotione ſuſpirans ad Deum ſe idem commen-

ad Tim: 4.

Beatiſsima Virgo Maria eidem apparuit.

Ad Rom vltimo.

Orationes pro viuis & defunctis fundebat.

commendans, maximè illis Domini nostri verbis. Domine in
Luc. 23. manus tuas commendo spiritum meum, vitam, inquam, cum cœlesti & æterna commutauit, pręsentibus Andrea & Benedicto fratribus, à quibus & Christi fidelibus honorifice est sepultus in eodem loco, Anno Domini 1007. Die 9. Iulii.

Miraculũ. S. Iustus apparuit viatoribꝰ. Anno Domini 1572. Die 15. Iunii, Dominus & Nobilis Stanislaus Pawłowski Ciuis Opatouiciensis, vna cum vxore & filia sua nomine Salomea deuotione persoluta, dum curru redirent de Noua Sądecz Monasterii Ordinis Sanctę Clarę, vbi quiescit venerabile corpus Sanctę Cunegundis olim Reginæ Polonię, religiosę eiusdem Ordinis Sancti Francisci, quę distat ab Opatouició duabus milliaribus Polonicis, à Cracouia vero
Pullulant sancti in gloria, Eccl: 46. & 50. octo, tandem in via nocte tenebrosa circumdati, cum hora secunda venerunt ad villam nomine Lobsouo, vbi quiescit corpus Sancti Iusti Confessoris Eremitæ Camaldulensis, prætereuntes Ecclesiam omnes simul de curru descendentes, cum deuotione
S. Casimiri Poloni deuotio nocturna. in Cęmiterio genibus flexis inceperunt orare Deum, vt meritis Sancti Iusti feliciter in domum sine noxa à latronibus sibi illata, vel ab animalibus sylůestribus peruenirent. statim cùm in currum ascenderunt, apparuit illis vir venerabilis albis vestibus indutus, in magna claritate cum duobus baculis ex salice confectis, quorum vnum dedit aurigę, alterum filię Salomeę, dicens illis:
S. Iustus in via suis deuotis apparuit. Ite in pace. Dominus Deus sit vobiscum, & ego qui sum Iustus, ero vestri comes & dux in via, in hac obscura nocte, tandem disparuit, sed illi baculi diuino miraculo in faces ardentes lucidissimas conuersi, clarissime illis lucebant, donec domum peruenerant, gratias Deo agentes, qui iterum illis apparuit dicens,
Eccls 48. Manete in pace, & tu filia mea, fac vt sis sponsa Dei Monacha in Sandecz, faces extinguit, & in baculos vt prius erant vertit, & ab oculis eorum euanuit. Illi autem prę gaudio lęti in terram

prostrati

proſtrati, gratias Deo & Sancto Iuſto reddiderunt, Salomea Monacha euecta & poſt tertium annum ſanctè Deo ſeruiens in eodem Monaſterio mortua eſt. Item Anno Domini 1506. Die 9. Iulii in eius feſto ſimile aliud miraculum accidit. Dum Nobilis Magnificus Dominus Caſimirus Dlugorayski Ciuis Opatouicièſis ſimul cum filio ſuo Hiacyntho deuotionis ſuę cauſa, eundo viſitare Eccleſiam vbi quieſcit corpus Sancti Iuſti Eremite Camaldulenſis, equitando votum deuotionis ſuę abſoluit, Domum in nocte obſcura tenebroſa rediit, tandem equitande per ſiluã duos paruos baculos de arbore quæ dicitur Betula cedit percorripere equos, vnum ſibi alterum filio dedit equitando commendans ſe Deo, & Sanctis ſuis patronibns Iuſto, Andreæ Zeorardo & Martyri Benedicto Zuirardo Eremitis Camaldulenſibus, vt iter ſuum in pace fæliciter perficeret, ſtatim iſti baculi non ſine miraculo Dei clariſsimam lucem emicuerunt, & lucebant illis per totum iter viæ vſq; ad domum cum iubilo peruenerunt ſine vllo damno, ſicut duę faces lucebant illis, tandem attigentes domum, relinquentes equos in terram prouoluti Deo gratias reddiderunt in Sanctis eius, baculi autem ammiſerunt lucem, laus Deo. Ex antiquis munimentis eiuſdẽ Eccleſię excerpta Hiſtoria.

Aliud miraculum.

Sed in quo loco Eccleſiæ huius Sancti Iuſti Corpus quieſcit, ob antiquitatem nulla eſt adhuc, veſtigium memoria.

Beatus Bogumilus dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt, ſimilem illum fecit Dominus in gloria ſanctorum, Ecce enim elongaui fugiens & manſi in ſolitudine ſicut paſer ſolitarius in tecto.

Eccles: 44. Pſal: 54. 101. 41.



BEATVS BOGVMILVS POLONVS, Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui poſtea renuntiando Archiepiſcopatum Eremita Camaldulenſis factus eſt.

Græcę, Theophilus. Latinè Wloſtiborius.

BEATVS BOGVMILVS, Confeſſor Chriſti, Nobili genere Abdankorum, ex Decano Gneſnenſi Archiepiſcopus Gneſnenſis Anno Chriſti 1279. creatus, vir vitę inculpatę Præſul, in Deum magnę contemplationis, pius & ſanctus in operibus, maximo deuotionis ardore ad Beatam Mariam Virginem Sanctos Adalbertum & Staniſlaum Pontifices, ac ſex Fratres Polonos Ordinis Camaldulenſium Patronos Regni Poloniæ, quod etiam & ipſe vir Sanctus Bogumilus in eremo ſecundum Regulam Sancti Romualdi quam in mente affixam & aliam ſcriptam habebat regulariter flagrans omnes dies vitę ſuę, in ieiuniis, diſciplinis, ac orationibus tranſegit, puro corde Deo & Sanctis eius ſeruiens. Hic cùm adhuc Decanum agebat, tantorum miraculorum patrator extitit, quod abſolutis horis Canonicis pro diebus Dominicis & feſtis principalioribus, ad Eccleſiam Sanctiſsimæ Trinitatis in villa nomine Dobrowa. Quindecem milliaribus Polonicis à Gneſno diſtante, ſepius pro abſoluendo Sacro ſancto Miſſæ Sacrificio ad ire ſolebat, quem populus ſummo deſiderio pręſtolari ſolitus erat. Cùm autem hæc Eccleſia in inſula fluuii Warta ſita ſit, nullus ex populo templum tranſire valebat; verum viro ſancto adueniente, præeunte eodem & populus totus cum magno miraculo ſuperficie fluminis ſiccis pedibus ad inſulam tranſibat, abſolutoq; ſacro Miſſæ ſacrificio, rurſus iiſdem veſtigiis poſt virum Dei in retrorſam rippam fluminis

4. Reg. 2. Exod: 14 15. Ioſ. 3. Gene: 9.

Siccis pedibus per aquã trãſibat.

nis reuertebantur. Ibi vir beatus volens gratificari egeno populo nomine diuino inuocato, piscibus è fluuio ad se venire iubet, eosq; ne deficerent in via populo distribuit, vt quantum cuiusq; necessitas postularet: ex eisdem læti vescerentur domumq; reuertens, aliis piscibus benedicens tuto vndis abire iussit, & sic iter aggressurus quod & stupendum, hora solita prandio Collegarum Canonicorum Gnesnam solebat adesse. Tandem in odium Præmislai 2. Principis Posnaniensis & maioris Polonię (qui Lucardim pudicam consortem suam inique, eò quòd nullam ex ea prolem susceperat strangulare iussit) veniens, renunciando Archiepiscopatui solitariam vitam in Eremo, non procul ab eadem Ecclesia Sanctissimę Trinitatis, ducere instituit, vbi quinquennio in eodem loco Dobrowa (Archiepiscopatu totidem annis vacante) in summa vitę austeritate, laboribus inedia, orationibus transactis, senio confectus vitę sanctitate clarus, Sacrosanctis Ecclesię Sacramentis susceptis, expansis manibus ad instar Domini nostri Iesu Christi in terram prostratus, assistente Beatissima Virgine Maria cum puero Iesu, ac cum cœtu Angelorum & plurimorum Sanctorum Regni Polonię Patronorum, inter quatuor quercus circa suam cellam in silua moritur, hæc verba in agone dicens: Iesu fili Dei & Virginis Marię, susceptor esto animę meę, vir sanctus plenus dierum bonorum felix in domino obdormiuit, cuius sancta anima in magna claritate in speciæ pulcherrimè albę columbę cum cœtu Angelorum in cœlum euollauit. Et in eadem villa Dobrowa in Ecclesia pręfata Sanctissimę Trinitatis Anno Domini. 1 2 8 7. Die 10. Mensis Iunii sepultus est. Tempore Vladislai 4. dicti Lokietek Regis Polonię, qui cùm in vita sua plurimis miraculis claruit, & post mortem suam breui florere cæpit. Ex quibus miraculis vnum adiicere hic placuit: Vno etenim tempore viro

Pisces distribuebat populo.
Aliis benedixit piscibus.
Ioan: 21.
Luc: 24.
Gen: 9. 21
Psalm: 54
1. Par. 29.

Simile miraculum, SS. Stanislai & Hyacinthi.
Quinque miliaribus distante à Casimiria.

Vehendo de nundinis Iaroslauien.

cuidam nomine Stanislao dicto vach Ciui Collensi ad beatum Bogumilum virum Dei & Presulem deuoto, in curru panno nimis onerato, sex equis prope villam Dabrowa sepulturam sancti Archiepiscopi eunti, vnus equus onere pressus in via occubuit, illicq; decoriatus est, cuius pellem dum dominus equi ad tumbam Præsulis Beati deuotionis erga sanctum suę sacerdotibus Ecclesię loco muneris obtulit, vt intercessione sui famuli Deus eidem cæteros equos sanos seruaret, mox dum ad sepulchrum prefati Presulis flexis genibus intime suffragium Beati viri inuocando Deum oraret, equus ille decoriatus ante fores templi hinnitu solito edito, prodigiose astitit, quem dominus videns, gratiis Deo Actis, equum illum lætus recepit, & in vsum suum contulit, omnibus mirabilia Dei in sancto suo & meritis ipsius predicans. Hanc pellem detractam sacerdotes causa maioris fidei foribus Sacrarii templi, clauibus affigi curauerunt Anno Domini, 1 3 9 6. quę ad hoc vsq; tempus coloris nucerini conspicitur. Authores Historię; Ioannis Dlugoss. Can: Cra. in Chro. Pol. Bartolo: Paprocki lib: 2. & 3. fol. 159. 291. & 425. Stem: Nobilium Pol. Chronica Bohe: fol. 350. Cromerus lib: 10.

ORATIO. Deus, qui beatum Bogumilum Confessorem atq. Pontificem tuum, æternæ beatitudinis premio sublimasti: Concede propitius, vt cuius merita veneramur, in terris intercessionis eius auxilio, apud tuam misericordiam muniamur in cælis. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Gloria & honore coronasti eum Domine, & posuisti in capite eius coronam de lapide precioso, ac constituisti eum Regem super solium Regni Poloniæ.
Psalm: 8. 20. 1. Paral: 29.

B. Boleslaus Chabri Rex Poloniæ primus.

BEATVS BOLESLAVS CHABRIVS, primus Sanctus ac Christianus Polonorum Rex, ab Ottone tertio Romanorum imperatore coronatus, & Rex Polonię perpe-

tuus creatus, ab omniq; tributo imperii absolutus. Eius tempore multi sancti viri Religiosi, in Regno Poloniæ floruerunt, ipse quoq; spiritu prophetico clarus, multisq; victoriis insignis victor extitit, huic enim per Angelum Dei gladius datus refertur, sicut olim simile modo Ieremias Sanctus dei Propheta, Iudę Machabeo supremo ducis exercitus Iudęorum contra inimicos Hebręorum oranti gladium aureum dedit dicente sibi: Accipe sanctum gladium munus adeo, in quo deiicies omnes aduersarios populi mei, Dei enim mysterium est. 2. Machab: 15. ad Roma: 13. Aduersarios & inimicos suos facile non sine magno miraculo vincebat, qui gladius ad hocusq; tempus in armario Ecclesię Cathedralis Cracouiensis conseruatur, eundemq; Reges Polonię bella exercentes defferre & inimicos suos prostrare solebant. Tanta autem ipsius pietas & amor in sanctos famulos Christi fuerat, vt multa corpora sanctorum indebita sepultura carentium, nonnulla magno labore, cętera vero non minori prętio à barbaris acquisita (pręcipuè vero Sancti Adalberti Pontificis & Sancti Brunonis Archiepiscopi Ruthenorum, cum octo sociis ipsius) Sancti Adalberti Martyribus Eremitis Camaldulensibus vt supra Ioannem Benedictum Matteum Isaac Christinum Barnabam & alios sanctos honorifice sepeliri curauit. Tandem multis Christianis & Regiis virtutibus conspicuus fælix in Domino obdormiuit ac honorifice in Maiori Polonia Posnanię in medio Ecclesię Cathedralis, circa Altare Beatissimorum Petri & Pauli Apostolorum sepultus, Anno Domini, 1024. Die 12. Maii. Eius morte vniuersa Polonia, optime meriti Rege orbata, annum totum in luctu fuit; ita vt neque conuiuia vlla, neque chorę celebrarentur, neque culcioribus vestibus quisquam nobilium virorum aut fœminarum sese vestirent; eò, quoniam ipse pius Rex, multas prouincias felix bello victor, regni

Stanislaus Socol: in Offic: Patronorum

Stodislaus Bascus. lib: 2.

2. Mach: cap: 15. Rom: 13.

Corpora SS. à barbaris redemit & sepeliuit.

Eo tempore Sanctus Stanislaus natus Episcopus Cracouię.

Cromerus lib: 3.

regni suę subiugauit: Episcopos, plurimas Ecclesias, monasteria, scholas & hospitalia, xenodochia pauperum in Polonia constituit & dotauit: Sacerdotes venerabat, statuas idolorum confregit, in nihilum reddigit. Eius temporibus Nobiles in Ecclesia audiendo tantum, Sequentia sanctę Euangelię, gladios euainabant, ob indefensionem fidei Orthodoxę Catholicę. Post cuius mortẽ cęlestis lux & suauissimus odor, flagrans ac Angelicus cantus auditus est Authores Historię, Martinus Ord: Prędi. Archi. Gne: inChro. Pol fol. 7. Vincentius Kadlubek, epi. 6 lib 2, & epi. 13, & 7. Miechouiensis lib. 2 cap: 6 7. 8. Bielscius l.b 1 fol 62. Petrus Skarga Soc: Iesu in vita Sancti Adalberti Historiar. Cromerus lib: 3. Stodislaus Bascus 2. libro in Chronica.

Rex Iustus, qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur, cuius Regnum sempiternum est.
Prouer: 29. Daniel 7.

B. Boleslaus Pudicę Rex, cum S. Cunegundis celebs vixit 17 annos. Multas Ecclesias & Monasteria fundauit. Eius impẽsis S. Stanislaus Canonizatus Iasuicos profligauit & ad fidem Christicõuertit

BEATVS BOLESLAVS Pudicus Rex Polonię, maritus Sanctę Cunegundis, filię Belę Regis Hungarię, & frater Sanctę Salomeę Reginę Halicię, tertii Ordinis Sancti Francisci, ab adolescentię suę flore multis virtutibus, pręcipuè vero abstinentia & castitate ornatus; ita vt omnes vitę suę cum sancta Cunegunde vxore sua annos 17. celebs ac deuotissimus transegerit, plusquam religioni deditus, quàm secularibus negotiis vilebatur: ad cuius instantiam non postremas, Sanctus Stanislaus Episcopus Cracouiensis & Martyr fuit canonizatus. Huic vno tempore incursionis hostium Tartarorum, Sancti Geruasius & Prothasius Martyres apparuerunt, certam ei victoriam de hostibus indicantes, quod euentus comprobauit. Iasigicos adhuc gentiles barbaros eo tempore existentes, bello, iure, felix victor profligauit,

gauit, prouinciam illorum subiugauit, ac in fidem Christi Catholicam conuertit. Quinque Monasteria fundauit, Cracouię sodalitatis Sancti Francisci Conuentualium, Sancti Andreę Ordinis Sanctę Claræ, & Sancti Marci Ordinis Sanctę Marię de Metri, in Scala & Zauichost Monialium, Ordinis Sanctę Claræ, ad intercessionem Beatæ Grimislauę matris suæ, & Sanctę Salomeę sororis suę, cuius quoque tempore præcipuum munus, Sal in Wieliczka & Bochnia apparuit. Sanctam Salomeam, sororem suam, Reginam Halicię, in eadem Ecclesia S. Francisci, cum magnoplausu hominū honorificè manibus suis, vnà cum sancta Cunegunda vxore sua sepulturę tradidit: plurimis tandem bonis Ecclesię dei collatis, in pauperes munificus felix, obdormiuit in Domino: Cracouię in Ecclesia Sancti Francisci Connentualium à dextris Altaris maioris sepultus, Anno Domini, 1 2 7 8. die 4. Decemb. apud eius sepulchrum cælesti radii noctu visebantur. Authores, Longinus in vita Sanctę Cunegundis, fol: 21. Annales polonorum, lib: 6. fol: 283. Vincentius Kadlubek lib. 2. cap: 22. & 23. Miechouiensis lib: 3. cap: 45. Bielscius lib: 2. fol: 185. Herburtus lib: 6. cap: 7. Bartholomęus Paprocki lib: 1. fol: 16. in stemmata Nobilium Polonorum. Stodislaus Bascus in Chron Lib: 2.

Cromerus Lib: 8.

Bielscius lib. 2. fol: 185.

Prosa ad vesperas ex antiquo Breuiario Polonorum, ex reuelatione S. Ioannis Eremite Camald. composita est, a R. Patre Stanislao Nucio, Ord. S. Fran. de Obser. vt infrà.

Tota mente iubilemus, in hac die exultemus, tot numerum inuocemus, Sanctorum suffragia.

Qui in Christo renascentes, mundi huius respuentes, vana quæq; conterentes, pergunt ad cælestia.

Boleslaus Rex Polonus, transit ad hos Sanctos pronus ferens eis munera.

In oscula proruentes, quem Sancti benedicentes Rex petit itinera.

Quod

Quod latrones audientes, pergunt illuc festinantes ferunt sanctis vincula.
Ab his nummos extorquebant, ad quos Sancti sic agebant viuimus per secula.
Boleslao remisimus nam hos corde contempsimus quærentes cælestia.
Latrones non crediderunt, gladiis hos occiderunt, sunt mortis compendia.
Sic per multas pasiones ad supernas mansiones gloriosi proceres Festinant & in nemore læti suo in corpore ducunt mortem celeres. (munere.
O quam fœlix Polonia fælicior Casimiria, fiunt ibi prodigia ex Diuino
Licet ibi in faustitate, reliquiæ sunt locatæ, tellus tamen suxit laute horum sanguinem vere.
Cæcus, claudus, surdus, mutus, ab omnibus erit tutus, ægris membris destitutus, horum Sanctis precibus. (hos votiuus.
Ergo quiuis Christi cola diues pauper ruricola, extraneus & incola esto ad
Precamur vos iam patronos, Regi nostro incolonos, ferte pacem, mores bonos, victoriam in hostibus.
Scittas Turcam hinc pellite morbos pestes abducite, ipse Iesus sit dux vitæ, locate in cælestibus.
Ferent nobis hi solamen, si fuerit his precamen, semper erit subleuamen, omnis homo dicat, Amen.

ORATIO de Mart: Omnipotens æterne Deus, pro cuius gloria Sancti tui innocentes Martyres Ioannes, Benedictus, Matthews, Isaac, Christinus, Athanasius, Laurentius, & Barnabas Confessor, Eremitæ Camaldulenses Casimiritani in Ecclesia tua sancta genibus in terra prostrati noctu diuinis Orationibus vacantes, ab impiis prædonibus apprehensi, manibus pedibusq; ad stipites alligatis crudeliter igne & diuersis tormentis diu lacerati & interfecti, Martyrii palmam æternæ gloriæ adepti sunt. Præsta quæsumus, vt quorum memoriam suæ deuotione recolimus, eorum actiones imitemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO de Confesso:

Deus qui nos concedis annua Sanctorum Confessorum tuorum Eremitarum Camaldulensium Andreæ Zeorardi, Barnabæ, Iusti, Bogumili, & Benedicti Zuirardi Martyris sociorum natalicia colere, da nobis in æterna beatitudine, de eorum societate in cælis feliciter vna cum illis gaudere per Christum Dominum nostrum, AMEN.

